









DE  
TRANSITV  
FEBRIVM BENIGNARVM  
IN MALIGNAS  
PRAESERTIM IN PRISIA ORIENTALI

GRATIOSI MERCORVM ORDINIS CONSENSV  
IN REGIA FRIDERICIANA

REGIO MAVSIA EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMIO

REGIO ANNI ET CHIRVRG. P. I. ORDINAR.  
FACULTATIS MEDICAE A. T. PRIMO SPECIALLYSSIMO, ACADEMIAE CAESAR.  
CVRSVS THEORICAE IMPERIAL. PETROPOL. SVB NON REGIO. SVBNO. DE PA.  
CHIRVRGIAE SVBNO.

GRADVS DOCTOR.

THEORICAE MEDICINAE

DE REGIO. DE REGIO. DE REGIO.

THEORICAE MEDICINAE

NICOLAVS HERMANNVS ESCHERHART

REGIO. ORIENTALI.





2

1764, 7. 6.

DE  
CAVSSIS QVIBVSDAM SPECIALIBVS  
**A P O P L E X I A E**  
OBSERVATIONIBVS ANATOMICIS RARIORIBVS  
CONFIRMATIS,

---

QVAM  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
P R A E S I D E  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO  
FACVLT. MEDICAE SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-  
SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.  
BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

D. IV. OCTOBRIS A. S. R. cIo Io cclxiv.

H. L. Q. S.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

**SAMVEL SIGISMVNDVS ADAMI**

BOIANOVA - POLONVS.

---

HALAE AD SALAM

L I T T E R I S C V R T I A N I S .

CAUSIS QUARTANA...  
OPERTATIONIBUS...  
CONSTITUTIO...  
B. ANTONI...  
PRO...  
SARRELL...  
LITTE...  
LITTE...





V I R O

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

D O M I N O

GOTTLOB EPHRAIM  
HERMANN,

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO CELEBERRIMO,

SERENISS. AC POTENTISS. REG. POLON. AC ELECTOR. SAXON.

AVGVSTI III. GLORIOSISS. MEMOR. CONSILIARIO AVLICO,

ET CIVITATIS BOIANOVAE PHYSICO ORDINARIO

FAMIGERATISSIMO,

PATRONO AC FAVTORI SVO

OMNI, QVA DECET, OBSERVANTIA PERPETVO DEVENERANDO,

V I R O

DE SALVTE PATRIAE

PRAECLARE ET IMMORTALITER MERITO

QVALECVNQVE HOCCE

SPECIMEN INAVGVRALE,

STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS,

GRATAE ET DEVINCTISSIMAE MENTIS TESSERAM

CVM VOTO DEVOTISSIMO

FELICITATIS CONSVMMATISSIMAE

INGOLVMITATISQVE PERPETVAE

SACRV M ESSE IVBET

AVCTOR



Q. D. P. V.

§. I.

*Introitus.*



Tristis ea et quotidiana obseruatio, quam mortales vltimam ludunt catastrophem, nos condocet, hanc fieri mille modis. Ipse modus, quo nascimur, potest esse, et reuera est multiplex, prouti ars obstetricia commonstrat. Quaeuis impraegnata partum more consueto, seu naturalem, optat peragendum; ipsi etiam Christiani in precibus publicis, seu ecclesiasticis, implorant summum Numen, vt minus mortem experiantur subitam. Tale itaque thema de *Apoplexia*, cum sit obiectum precum, summaeque industriae et solertiae Medici, ideo dignum illud fore

fore iudicavi, quod Speciminis loco, pro gradu Doctoris consequendo, imprimis ratione specialiorum quarundam cauffarum exactius enucleatum, publicae submitterem censurae. In scholis Medicorum merito Apoplexia refertur inter morbos acutissimos et periculossimos, atque ratione symptomatum morbus habetur horrendus, et ratione euentus plerumque tristissime terminatur. De Apoplexia ergo scripturo mihi satis erit, speciales eiusdem cauffas describere; si enim omnia accidentia huius morbi recenserem, nimis diffusa foret haec commentatio, et non nisi crambem centies recoctam adponerem. A remotissimis etenim iam temporibus veteres bene cognitum habuerunt hunc morbum.

## §. II.

*Definitio Apoplexiae.*

Apoplexia nuncupatur ille status morbosus, vbi actio repente sensuum tum interiorum, tum exteriorum, omnesque motus voluntarii abolentur, superstitute plerumque pulsu forti, et respiratione difficili, magna, stertorosa, vna cum imagine profundi perpetuae somnii. BOERHAAVE in *Aphorismis de cognoscendis et curandis morbis*. §. 1008.

## §. III.

§. III.

*Diuisio Apoplexiae.*

Prouti itaque vario gradu sensuum internorum, externorum, et motuum voluntariorum actio laeditur, imo respiratio vario gradu deprauari potest; sic quoque mox leuior species apoplexiae, mox grauior eiusdem obuenire potest, ratione habita ad symptomata. Hinc Apoplexia quoque esse potest magis aut minus lethalis.

§. IV.

*In Apoplexia cerebrum adficitur.*

Ex allegata definitione apoplexiae sponte elucescit, quod cerebrum sit praecipue illa pars, quae quam maxime in apoplexia adficitur.

§. V.

*Intima fabrica cerebri minus adhuc cognita est.*

Cerebri structura in anatomicis valde est adhuc obscura, et non adeo multum de interiori fabrica nobis constat. Scimus tantum, cerebrum ex multis subtilissimis vasculis esse constructum, quae omnia a carotidibus et vertebralibus proueniunt, substantiam corticalem, et tandem medullarem praebent, ex qua nerui oriuntur. Nimis pulposum cerebrum vltiorem disquisitionem respuit; vnde euenit, vt multae morborum

borum cauſſae nobis adhuc incognitae ſint, et merito exclamandum eſt: *Heu, quantum eſt, quod neſcimus!*

§. VI.

*Veritas §. antecedentis exemplis corroboratur.*

Nullum fere viſcus in toto corpore humano inuenitur, cuius ſtructura nobis non ſit perſpecta, quare etiam in praxi eo facilior et felicior curatio partis adfectae locum inuenit. Contrarium valet de cerebro, tanquam de viſcere quoad maximam ſtructurae ſuae partem adhuc incognito. Morbi huius viſceris ſunt quaſi adhuc myſteria in praxi. Admiranda conſtructio cerebri eſt, ſi tantum reſpicimus ad figuram externam eiſdem; cur vero tam multae eminentiae, et concamerationes, ventriculi cerebri dictae, tam egregiam inter ſe monſtrant ſymmetriam? cur glandula pinealis, et pituitaria cerebri? cur eminentiae mammillares? cur eminentia quadrigemina cerebri adſunt, et in quem finem? cur glandulae durae matris? quem uſum habent? Quare haec difficultas anatomica ſolertiſſimos naturae perſcrutatores incitauit, cum ex conformatione naturali cerebri nondum cauſſam morboſam cognoscere queamus, ut pro hoc viſcere quomodocunq; indagando omnem induſtriam et ſagacitatem impenderint, quo ad minimum ſtatum prius ſanum tanto exactius cognitum ſibi redderent.

§. VII.

*observationibus anatomicis varioribus confirmatis.*

§. VII.

*Experimenta Illustris MECKELII, in cerebri mente alienatorum  
post mortem capta.*

Illustris MECKELIUS, Praeceptor meus omni animi adfectu pie colendus, summus et famigeratissimus nostris temporibus Anatomicus Berolinensis, dissecauit corpora talium hominum infelicitum, qui mente fuerunt capti, dum vitam miserrime agebant, et inprimis talium miserrimorum hominum, qui fuerunt furibundi, ita vt vinculis et catenis constringi debuerint. Et ecce! quae inuenit Vir Illustris. In omnibus fere subiectis substantiam cerebri valde compactam, instar corii, ita vt segmenta cerebri, cultro anatomico rescissa, lamellas repraesentarent coriaceas. Glandulae cerebri externae et internae, praeter consuetudinem et naturalem constitutionem mole fuerunt auctae et tumidae, et quod notatu dignum est, inprimis substantia cerebri grauitatem specificam leuiorem habuit, quam cerebrum ex homine naturali morte extincto; quod Illustris hic Vir ita stabiluit: scilicet acutissima lance ponderauit cubum, cerebro hominis mente capti et furibundi omnium industria impletum, et annotauit pondus. Hinc paulo post eundem cubum repleuit cerebri substantia medullari, vti in furibundo, et sic inuenit, maioris

B

pon-

ponderis esse cerebrum hominis naturali morte extincti. In vnica foemina vero, quae per viginti septem annos furiosa fuit, vlcus in cerebro inuenit, quod in ventriculo anteriori dextro conspicuam portionem cerebri deuastauerat; in hac vero miserrima nulla conspicua erat differentia grauitatis specificæ leuioris, in respectu ad statum naturalem.

## §. VIII.

*In deprauatione cerebri causa illius in siccitate quadam consistere potest.*

Videtur itaque, ex omnibus allegatis totiesque repetitis obseruationibus illustris huius Viri, siccitatem quandam occurrere sub deprauatione cerebri, quae anam praebet subsequenti furori mentis. Omnia enim in cerebro, quoad figuram et molem, in furibundis et sanis sunt pari ratione constituta. Talis siccitas cerebri, siue sit orta ex obstructione canalium medullarium cerebri, existente sanguine nimis spisso et acri, siue ex nimia consumptione liquidi neruei per adfectiones animae, vel per iram, vel tristitiam, amorem vesanum, et quae sunt reliqua, semper eundem morbosum inducet effectum.

## §. IX.



§. IX.

*Causa Apoplexiae.*

Dicendum nunc est de causis quibusdam specialioribus apoplexiae. Iam superius monui, me tantum speciales quasdam apoplexiae causas exponere velle, minime vero omnes, cum iam optime a compluribus celeberrimis Practicis hoc factum sit. Primo itaque probare nitar, causam apoplexiae existere in cerebro ipso, deinde vero monstrabo, etiam genuinam grauissimi huius morbi causam in thorace existere posse.

§. X.

*Triples causa Apoplexiae.*

- 1) Nimia distensio vasorum cerebri.
- 2) Collapsus illorum.
- 3) Corporum variorum praeternaturalium praesentia.

In ipso ergo cerebro duplici ratione causa apoplexiae existere potest, quando nempe vel vasa eiusdem collabuntur, vel peregrina corpora cerebro inhaerent.

§. XI.

*Causa Apoplexiae ex nimia distensione vasorum encephali.*

Ex principiis physiologicis constat, quod ad minimum sexta pars vniuersae massae sanguineae ad

cerebrum feratur. Dum enim carotides et vertebrales eiusdem numeri oriuntur ex arcu aortae, et lumina diametrorum horum vasorum sunt, respectu luminis aortae, vti 1. ad 3. seu, quod idem est, tertiam partem adimplent, hinc dicunt Physiologi, quod tertia pars sanguinis, quae naturaliter in corpore mouetur, ad caput feratur. Ab hac tertia parte vtique subtrahenda est illa, quae mittitur in ramos musculares arteriarum carotidis externae, et ramulorum muscularium vertebralium. Si omnia itaque simul considerantur, omni iure adfirmandum cum Physiologis, quod sexta pars vniuersi sanguinis, in corpore mouendi, ad cerebrum ducatur. Si itaque quouis modo haec magna quantitas adhuc augetur, tunc vasa encephali praeternaturaliter possunt distendi. Ex tali vero distensione necessario pulposa substantia cerebri premitur, et omnia phaenomena, in definitione apoplexiae enarrata, subsequuntur, scilicet sensus in- et externi actiones suas vltius rite vix peragere valent, somnus profundus oboritur, et respiratio stertorosa, ex irregurali influxu spirituum animalium in musculos respiratori dicatos, simul coniungitur.

§. XII.

*Differentia Apoplexiae ſanguineae et ſeroſae.*

Vafa encephali praeternaturaliter diſtenſa non tantum comprimunt cerebrum, verum etiam ipſa illa vafa rumpi poſſunt, quare tunc *apoplexia* nuncupatur *ſanguinea*. Si vero non tam ſanguis, quam potius ſerum blandum in cauis cerebri inuenitur, tunc nomine *apoplexiae ſeroſae* inſignitur.

§. XIII.

*Cauſſa Apoplexiae ex collapſu vaſorum.*

Si vero pari ratione ſanguis ad cerebrum fertur, ſpiritus autem animales plus iuſto conſumuntur, vel per ſtudia diutius protracta, vel per alias animae paſſiones, tunc vaſcula medullaria, neruis originem praebentia, quaſi euacuata, adglutinantur, obſtruuntur, et tali ratione obſeratis minimis canaliculis medulloſis, apoplexia ſubſequitur.

§. XIV.

*Cauſſa Apoplexiae ex materia in cerebro collecta, tanquam ſubſtantia cerebro inimica.*

Sectiones cadauerum docuerunt, varia corpora peregrina in cerebro aſſe poſſe, quae anſam apoplexiae praebent. Interdum ingens copia aquae colligitur in ventriculis cerebri, interdum, vt ipſe vidi,

aqua effusa circa piam matrem premit cerebrum, et homines tales apoplecticos reddit. Adfunt vero etiam adhuc aliae apoplexiae caussae. Notum mihi est exemplum militis, triginta annorum, qui in regione partis superioris ossis occipitis fuerat laesus glande plumbeo, circa protuberantiam occipitalem externam. Chirurgus instituebat trepanationem, et homo sanus videbatur per triennium; subito vero aliquando miser proster-nitur in terram, et apoplecticus moritur. Aperto cranio, ingens copia materiae collectae ibidem depre-hendebatur, licet miser hic homo feliciter curatus videretur, dum nempe partis ossis occipitis, mediante Trepano ablatae, dimidium fere, ope noui adfluentis boni succi gelatinosi, regeneratum erat, et sic omnino optimam spem valetudinis praebuerat, neque minus in externa superficie residuum adhuc ab operatione orificium noua cute iamiam clausum erat.

## §. XV.

*Observatio Excellentissimi WALTERI adducitur, pro stabilienda veritate §. praecedentis.*

Sequentem historiam mihi retulit Praeceptor meus Excellentissimus WALTERVS, Anatomiae Profes-sor, et Professor secundarius Collegii medico-chirurgici Berolinensis. Ante biennium homo, subita apo-ple-

plexia extinctus, in theatrum anatomicum adfertur ad difſecandum; aperto cranio omnia in ſtatu naturali eſſe videbantur, niſi quod venae iugulares et ſinus durae matris ſanguine diſtenti paulisper viderentur. Inueniebatur vero in ventriculo anteriori ſiniſtro tumor ſaccatus, magnitudine oui gallinacei minoris, multa materia limpidiſſima inſarctus. Totus ventriculus anterior continebat humorem limpidum quidem, ſed iam purulentum. Tumor hic ſaccatus, cuius tunica craſſitie erat integrae lineae, ſeu duodecimae partis pollicis, mihi ortus fuiſſe videtur ex hydatide plexus choroidei praeternaturaliter increta. Erat vero hic tumor ſaccatus genuina cauſſa apoplexiae, qui nimirum, tamquam pondus graue, oppreſſerat ſubſtantiam mollem cerebri. Miſer hic homo quoad reliquum habitum externum fuit Herculeus, omnes labores, imo grauiffimos, cum facilitate, dum vixit, ſuſcipere valuit, ſemper autem conqueſtus eſt de dolore capitis grauatiuſ et fixo, in latere ſiniſtro cranii, verſus anteriorem et mediam regionem cranii.

§. XVI.

*Alia obſeruatio Excellentiffimi* WALTERI.

Alium adhuc caſum mihi retulit idem Vir Excellentiffimus WALTERVS, ſcilicet, militi cuidam proceſſus

cessus mastoideus gladio praeciditur, et miles, licet femicuratus fuerit, subita tamen morte, ex apoplexia superueniente, extinguitur. Aperto cranio materia multa purulenta, quae per cellulas mastoideas transierat versus basin cranii, non tantum hominem furdum reddiderat, verum inprimis apoplexiam induxerat.

## §. XVII.

*Aliae observationes Illustris MECKELII et Excellent.*

WALTERI.

Alia adhuc memorabilia exempla adducere possem, nimirum, vbi Vir Illustris, MECKELIUS, inuenit in substantia cerebri lapidem magnitudine fere oui columbini, et alias excrescentias osseas praeternaturales osium cranii, quae corpora, cerebro inimica, omnino apoplexiam producere valent. Eiusdem naturae quoque est hydrops cerebri, seu hydrocephalus, quale exemplum vidi in praelectionibus osteologicis Excellentissimi Professoris WALTERI, qui adseruat cranium puellae 13. annorum ingentis magnitudinis, hydrocephalo demortuae, cum quo etiam conferri meretur illud, quod Excellentiss. Dn. D. Gottl. Eobr. HERRMANN in *Annalibus phys. med. Wratislaviens. ann. 1725. M. Maio, Class.*

IV.

*observationibus anatomicis rarioribus confirmatis.* 17

*IV. Artic. 23. et M. Octob. Class. IV. Artic. 12. de insignis et fere incredibilis magnitudinis Hydrocephalo infantis trium annorum retulit.*

§. XVIII.

*Triples apoplexiae causa in thorace recondita.*

Nunc me verto ad speciales illas causas apoplexiae, quae in *thorace* reconditae sunt, quarum nonnullas nunc enumerabo.

§. XIX.

*Thorax ipse, vel partes in illo contentae, Apoplexiae ansam praebent.*

Vel thorax ipse, vel partes in thorace contentae eadere possunt causa efficiens apoplexiae. Sub thorace intelligitur plerumque tota cohaesio partium firmarum, scilicet costae, columna vertebralis, cartilagine costales, et tandem sternum. Partes vero minus firmae sunt, cor cum suis annexis, nempe pericardium et vasa maiora cordis.

C

§. XX.

## §. XX.

*Thorax male conformatus, vel tantum diſtorquetur, vel gibboſus redditur.*

Thorax tunc male conformatus nuncupatur, ſi vel coſtae tantum et ſternum diſtorquentur, vel ſi coſtae ſimul cum columna vertebrali incuruantur, et ſtatus hic morboſus ſub nomine *gibbi* venit.

## §. XXI.

*Mala ex thorace varie diſorto orta.*

Si coſtae tantum male conformatae ſunt, tunc vix producere valent apoplexiam. Talis quidem ſtatus morboſus poteſt eſſe concauſſa apoplexiae, vix vero ſufficit per ſe, ad apoplexiam talem producendam. Cautas enim thoracis in ſtatu naturali repraeſentat figuram coniformem, cuius paries anterior et poſterior applanatae cernuntur, extremitas ſuperior obtuſe truncata, et illius extremum inferius latiori baſi planum exiſtit; verbo, cautas iſta proportionatam habet diſenſionem pro motu et loco pulmonum commodo. Si itaque haec cautas vel  
ad



ad vnum vel alterum latus distorquetur, tunc non amplius pulmones motum consuetum et ordinarium exercere possunt. Musculi inspirationi et expirationi dicati, tantum in suo situ atque actione aliquo modo mutantur, hinc incommoda respirando fiunt. Vix vero sufficiunt talia impedimenta leuia respirationis, vt ansam praebeant lethali apoplexiae. Comprobant hoc infantes rhachitici, qui raro moriuntur apoplexia stricte sic dicta. Vidi inter praeparata osteologica Excellentissimi WALTERI infantem 8 annorum rhachiticum, cuius thorax valde difformis est. Costae, vbi cum cartilaginibus costalibus compinguntur, seu in illarum extremitatibus anterioribus, valde tumidae et intortae sunt, costarumque angulus valde inflexus est. Scapula, claviculae et costae primae tumidae et valde inflexae sunt. Peluis stricte sic dicta et extremitates, tam superiores, quam inferiores, incuruatae sunt; spina autem dorsi integra mansit, absque vlla curuatura; hinc vtique in tali statu morbofo oriuntur difficultates respirandi necesse est, vnde sanguis maiori impetu ad caput fertur. Estne hic maior ac velocior impetus sanguinis causa, cur infantes rhachitici sagacitate alios infantes eiusdem aetatis antecellunt? Per hunc enim

C 2 im-

impetum cerebrum citius augeri potest, et organa eo ipso minori temporis spatio perfectiora reddantur necesse est. Conuincimur de hac veritate sectione anatomica, vtpote quae docet, quod rhachiticorum vasa cerebri maiora sint, quam sanorum infantum eiusdem aetatis. Vnde quoque prouerbium illud mihi videtur ortum et comprobatum: *Fluge Kinder leben nicht lange.*

## §. XXII.

*Mala ex gibbo orta.*

Maioris ponderis est ea conditio fabricae thoracis, quando pars thoracis fixa et immobilis, seu punctum fixum thoracis, vario modo praeter consuetudinem mutatur, seu quando spina dorsi incuruatur: tunc enim duplex malum obseruatur. Costae non amplius retinent situm, directionem et formam, insuperque simul et hoc accedit, quod interdum spina dorsalis, quocumque modo incuruata, saepe per anchylosin concreseat tam inter se, quam cum capitulis articularibus costarum. Quando autem reciprocus aëris ingressus et egressus e pulmonibus iam iam qualitercunque turbatus est, tunc talibus sub  
con-

conditionibus respiratio tanto magis erit anhelosa, anxia, et praeternaturalis. Pessimum vero malum hoc habendum est, quando iter atque decursus aortae mutatur simul cum spina dorsi.

§. XXIII.

*Aortae decursus in gibbosis mutatur.*

Constat inter omnes, arteriam aortam hanc naturalem directionem obseruare superius et retrorsum, quam habet arteria pulmonalis, egreditur nempe e cordis ventriculo posteriori, et paulo magis dextrorsum adscendendo reclinatur, dum a dextris versus sinistram regionem procedit, et sic simul arcum aortae formando descendit versus inferiora thoracis. Tota quanta haec directio aortae mutatur per spinam dorsi gibbosorum.

§. XXIV.

*Ratio cur in gibbosis aorta mutatur.*

Pari ratione euictum est in anatomicis, quod aorta per telam cellulosam fortem et tenacem spinae dorsali adglutinata inueniatur. Quare si spina dorsi

incuruatur, tunc aorta eundem decursum, eandemque directionem simul cum columna vertebrali conferuat.

§. XXV.

*Experimenta in gibbosis instituta.*

Per iniectionem anatomicam hoc comprobatur. Arteria aorta gibbosi hominis, densiori materia ceracea repleta, ita incuruata est, sicuti vertebralis columna. Si itaque columna spinalis habet figuram S. romani, scilicet ab vno versus alterum latus spectata, tunc talem figuram aorta quoque obtinet. Si vero spina dorsi in suo descensu arcum ab anterioribus versus posteriora format, tunc talem etiam habet praeternaturalem directionem aorta. Vidi talem arteriam aortam monstruosam, ex gibbosa puella 13. annorum, apud excellentissimum Praeceptorem meum Dominum WALTERVM, quam, materia ceracea iniectam, simul cum spina, ex eadem virgine, apoplexia extincta, conseruat inter praeparata sua anatomica. Acutissimum angulum, praeter consuetum arcum aortae, ex quo nimirum in latere dextro truncus communis arteriae subclauiae et carotidis dextrae

dextrae, in ſiniſtro vero corporis latere arteria carotis et ſubclauia proſiliunt, format illa aorta.

§. XXVI.

*Omnes fere gibboſi apoplexia extinguuntur.*

Gibboſi itaque vitam agere coguntur miſerimam, ſemperque morti ſunt propinqui. Pulmones non tantum in negotio reſpirationis impediuntur per coſtas vario modo diſtractas, ſed inprimis angulus talis praeternaturalis aortae impedit, quo minus libere, vt in ſtatu naturali, ſanguis verſus inferiora moueri poſſit: ſed e contrario ſanguis magno conatu et impetu verſus ſuperiora proiicitur; vires etenim cordis et aortae vix ſuperare poſſunt reſiſtentiam, ex tali angulo, vario modo inflexo, mox acuto, mox acutiſſimo, ortam. Hinc ſanguis fertur verſus ſuperiora, ſeu ad caput. Sanguis talis, maiori copia ad cerebrum allatus, diſtendit vaſa cerebri, et praeternaturaliter diſtenſa haec vaſa premunt pulpoſam ſubſtantiam cerebri. Regreſſus ſanguinis quoque haud naturali et tam facili modo per iugulares venas ad ventriculum cordis anteriorem, et ſic porro per pulmones, procedere valet, quia cauum toracis non eſt  
pro-

proportionatum extensioni pulmonum, quare sanguis necessario in sinibus cerebri accumulari debet; hinc sanguis arteriosus perpetuo adueniens, talibus sub circumstantiis tandem apoplexiam inducit. Ergo omnes fere gibbosi periculo apoplexiae sunt expositi.

## §. XXVII.

*Apoplexia ex partibus laesis in thorace contentis,  
nempe*

I. *ex pericardio cum corde concreto.*

Licet tota fabrica thoracis quoad partes firmas salua esse possit, tamen molliores interdum partes laesae inueniuntur. Pericardium, quod more consueto tanquam sacculus membranaceus cor laxè circumdat, saepe ita cum corde coalescit, ut eo ipso cor in sua dilatatione et contractione impediatur, unde anxiam respirationem et palpitationes cordis subsequitur fore, argumentari licet. Sanguinis circuitus per pulmones si ita impeditus fuerit, tunc perquam fonticae in cerebro inde eueniunt mutationes. Sanguis in venis cerebri praeternaturali modo congeritur, unde hae infarctae et distensae cerebrum  
per-

perquam molle premunt, influxum liquidi neruei plus minus turbant et retardant, ficque tandem ipsius apoplexiae fundamenta ponunt. Vidi duo corda humana apoplecticorum, vnum quod concretum fuit integerrime cum pericardio, alterum cor autem fuit hirsutum, fcilicet longi appendices de eius substantia pendebant. Concrefcere tunc dicitur pericardium cum corde, quando vapor pericardii colligitur, in piffatur, et non rite per vafa bibula pericardii et cordis reforbetur, vnde illud proximius ad substantiam cordis accedit, et diuturniori temporis mora facile cum eodem conglutinatur.

§. XXVIII.

II. *Apoplexia ex hydrope pericardii.*

Contrarius status morbofus ille est, fi vapor pericardii in stagnantem aquam colligitur tali enormi quantitate, vt inde hydrops pericardii producat, qui tandem caufa apoplexiae euadere potest, ob nimium inde turbatam actionem cordis, et maxime irregularem redditum motum sanguinis progressiuum eiusque in primis e capite refluxum.

D

§. XXIX.

## §. XXIX.

III. *Apoplexia oborta ex indurata valvula cordis mitrali.*

Alia causa apoplexiae haec esse potest, quando valvula, ante ostium venosum pulmonale in ventriculo cordis posteriori, ossa fuit reddita, et totum orificium venosum sacci venarum pulmonalium et auriculae sinistrae occluditur, sub quo statu sanguis venosus apoplexiam concitare valet. Tunc enim sanguis a capite refluere nequit, quia eius regressui per pulmones obex ponitur, et tales homines moriuntur eodem genere mortis, quo strangulati et aqua submersi pereunt. Licet autem tales casus sint rarissimi, aliquem tamen referre possum, quem Excellentissimus Praeceptor meus, WALTERVS, in foemina apoplexia defuncta observavit.

## §. XXX.

*Observatio Excellentiss. WALTERI de valvula mitrali indurata.*

Foeminae cuiusdam cadaver, annorum aliquot supra triginta, cuius venae vniuersi corporis, et imprimis colli et capitis, sanguine turgidae conspiciebantur, theatro anatomico inferebatur. Aperto thorace, omnes partes bene erant constitutae; atq; pulmones



mones sanguine nigro et ipisso infarcti deprehendebantur. Ventriculus cordis anterior multo sanguine repletus inueniebatur, posterior cordis ventriculus omni sanguine fere destitutus, dumque is aperiebatur, valvula mitralis sic dicta plane ossea comparebat, quae orificium hoc venosum pulmonale penitus occludebat.

XXXI.

IV. *Apoplexia a totali concretionem encephali orta, ex observatione Excellentissimi WALTERI confirmatur.*

Inter rarissimas apoplexiae causas merito haec numeranda est, quando vasa arteriosa cerebri concreta sunt. En sequentem historiam! Inter praeparata sua anatomica Excellentissimus Praeceptor meus, cuius instructionibus priuatissimis, tam anatomicis, quam physiologicis, artisque obstetriciae, per integrum fere annum frui mihi licuit, adseruat cor ingentis magnitudinis quoad molem vniuersam. Pericardium, dum adhuc fuit recens, hydropicum apparebat. Truncus communis arteriae carotidis dextrae et subclaviae eiusdem lateris materia quasi lapidea, inter tunicas collecta, rigidus est redditus, ita quidem, vt totus truncus aliquo modo clausus sit, sed inprimis eo in loco, vbi arteria carotis funditur in cerebralem et facialem, ista

perfecte claufa deprehendatur; in sinistro latere carotis finiftra, vbi pari modo diuiditur in carotidem facialem et cerebralem, integerrime obcoecata notatur. Arteria fubclauia finiftra multa materia terreftri, feu lapidea, circumfufa apparet, vnde illa rigida reddita eft, et fola arteria vertebralis in hoc latere finiftro, quae praeter confuetudinem ex arcu aortae ortum traxit, tantum naturalem feruat conditionem, id eft, tunicae eius funt molles, vt in ftatu naturali.

## §. XXXII.

*Conclufio.*

Triftis atque miferiffima haec conditio vaforum encephali non nifi periculofiffimos effectus producere poterat; quia nempe omnis fere aditus fanguinis ad caput interceptus erat, et hinc fecretio liquidi neruei neceffario valde imminui debuit. Per folam enim arteriam vertebralem finiftram fanguini liber erat exitus ad caput, quare iufta eius quantitas, ad fecretionem liquidi neruei neceffaria, vix potuit intra cerebrum deferri, adeoque in tali ftatu lipothymia, paralyfes, et tandem lethalis apoplexia ineuitabili ratione fubfequi debuerunt.

T A N T V M.

## MOŚCI DOBRODZIEIU,

Szczęśliwym się sadzę, że mam tego honoru wbliszey z WPanem bydź przyiaźni, y że mię WPan oraz obierał za opponenta przeciw nayuciona swoia disputacya. Co mię obowiązuie abym z całego braterskiego zyczyl serca abyś WPan przy wcielkiej szczęśliwości y ukontentowania życie prowadził, do chwali oyczyzni, do pozytku wiele chorych y uciechy sławney Familii. Zostan WPan zawsze tym Przyacielem, iako teraz jesteś, co domnie do ostatnego ducha ciągnienia będę

WPana

w Halie

d. 3. Listop.

1764.

nayniszym sluga

C. G. G U M P E R T,

Med. C.

\* Miedzierzycza Polak.

E

34

Ich fühle ganz der Freundschaft rege Triebe,  
Freund, da ich Dich verlassen soll,  
Und ieder Pulsschlag schlägt vor Dich nur Liebe,  
Und schlägt nur für Dein Wohl.

Sag, Muse, meinem Freund wie viel ich fühle  
An Seinem Tag, da Ihn die Ehre krönt.  
Euterpe, singe du in meine Saitenspiele,  
Damit mein Lied jetzt desto heller töhnt.

Bald seh ich euch nicht mehr ihr frohen Stunden  
Aufsichtiger Freundschaft ganz geweiht,  
Wie angenehm seid ihr mir oft verschwunden,  
Entflohn ins Meer der Ewigkeit.

Mir deucht, als seh' ich jetzt durch alle Deine Scenen,  
Dein Leben ist ein Silberbach,  
Und wo Du gehst, da flieht der Kranken Stehnen,  
Und weicht der Kranken Ach!

Ich sehe, froher Blick! Hygäa, Dich zu krönen,  
Eilt zu Apollens Lorbeerhain  
Und windet Kränze ihren Söhnen,  
Auch Dir. Solst Du der letzte seyn?

O! Mein, Dein rühmenswerther Eifer Ihr zu dienen  
Berechtigt Dich zum besten Kranz,  
Und an den Throne von Salinen  
Strahlt Deines Fleißes schönster Glanz.

Mein Aug erblicket jetzt, und mein sehr zart Gefühle,  
Ist Deinem Glückwunsch nur geweiht.  
Ein stetig Glück begleite Dich zum Ziele  
Des besten Wunsches, der Unsterblichkeit.

Dieses sind die Empfindungen der Freundschaft,  
womit sich dem beständigen geneigten Andenken  
und Freundschaft empfiehlt

Carl Christoph Göhde,

*M. C. Opponeus ordin.*

Dramburgo - Neomarchicus.

VIRO IUVENI  
NOBILISSIMO DOCTISSIMO  
SAMVEL SIGISMUNDO ADAMI,  
MEDICINAE CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

PHIL. CASP. IVNGHANS,  
ROEMHILDA-FRANCYS, MED. CANDIDAT.

Quum TIBI Dissidentis partes mihi deferre placuerit, adeoque occasionem mihi suppeditaueris amicitiae erga TE meae publice commonstrandae; non possum, quin TE, mox ex nostris regionibus discessurum, his literis meis comiter. Ita fiet, opinor, vt et alii meum erga TE amorem cognoscant, quo TE, dum hic fuisti apud nos, semper prosequutus sum. Honores in arte nostra summos TIBI ex animo gratulor, addito hoc ardentissimo voto, vt Deus, summus ille rerum nostrarum arbiter, TE semper seruet, suaeque beet clementia. Adsit TIBI semper, omniaque, quae vnquam suscipies, fortunata esse iubeat, quo possis illius gloriam illustrare, TIBIQUE et aliis bene consulere. His TE dimitto, AMICE AESTVMATISSIME, si TE exorauero, vt et absens mei memoriam colas, mihiq; faueas. Vale, resque TVAS omnes age feliciter. Vale. Dabam Halae Magdeburg. III. Octobr. MDCCLXIV.

MOŚCI

## MOSĆCI DOBRODZIEIU

Zapewnie czuiesz WPan iuz teraz szczęśliwość tych którzy naydroszy czas młodości iedynie tylko Muzom ofiarowali, ktorzy iedine staranie na to osobliwie weszło aby bliźnemu pożytecznemi były. Śława ich nasładuje, honor na nich czeka, ponieważ cnota ich wszędzie prowadzi, y na naywiększy godności wsadzi stopień. Bierasz iuz WPan dziesayszego dnia pierwsza piłnego y cnotliwego zprowadzonego życia zapłatę y z daleka W Pana widzę nayszcześliwszego co ia z braterskieyo życzę affektu, to fobie iednak wyproszam abys nigdy nie zapominał twego w Akademii Halenskiej

w Halie

dnia 3. Listopada

1764.

śczerzego przyjaciela

I. C. KAULFUS, T. S.

*z Policka Polak.*

A  
MONSIEUR ADAMI,

CANDIDAT EN MEDECINE.

O Toi dont les travaux, le coeur et les talens  
De tout homme de bien meritent les encens,  
Je Te vois à la fin d'une noble carrière  
Sous le sacré laurier lever la tête altière.  
Grace à son choix! le Dieu tuteur de la Pologne  
Enfin de son pais T'appelle à la besogne.  
La fièvre à pas craintifs pour quitter nos maisons,  
Chassée de Tes mains, recherche l'Acheron.  
Au bout de ses exploits la pale maladie  
N'ose plus des mortels empoisonner la vie.  
Te voila, cher Ami, au comble de l'honneur;  
Le moiën de ne point partager Ton bonheur?  
Va moissonner les fruits que le Dieu des genies  
Apollon Te prepare au sein de Ta patrie,  
Et chaque heure s'y coule, au gré de Tes desirs  
Au gré de mes souhaits, au milieu de plaisirs.

à Halle le 3. Octobr.  
1764.

FREDERIC GVILLAVME EXNER,  
Etudiant en Theologie,  
de Boianove à la basse Pologne.

Laurea



**L** laurea, qua Tui, praenobilissime atque doctissime Domine Candidate, tam strenue ac laudabiliter peracti labores academici, nunc decorantur, dum summos accipis in Medicina honores, omnino minus splendescere mihi videretur, nisi propria virtute esset comparata. Cum vero per integrum, quo Tecum vlla mihi fuit familiaritas, temporis spatium, Tui flagrarim amore, eodem motu sincerissimo, hisce literis, quae, quam tenues sint, non ignoro, Tibi de maiori, quod adscensus es, honoris fastigio, congratulandum duxi. Persuasum Tibi ergo sit, exploratumque, nihil magis mihi curae cordique esse, quam Tua incolumitas, et quo magis laus virtutum augetur Tuarum, eo maiorem, ex gloriae Tuae incrementis, voluptatem me percepturum, confidas. Vale.

S. E. WEBER,

L. A. C.

*Szmigla - Polonus.*





ULB Halle  
002 612 240

3



56







2  
1764

DE  
CAVSSIS QVIBVSDAM SPECIALIBVS  
A P O P L E X I A E  
OBSERVATIONIBVS ANATOMICIS RARIORIBVS  
CONFIRMATIS,

---

QVAM  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
P R A E S I D E  
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO  
FACVLT. MEDICAE SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-  
SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.  
BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS  
D. IV. OCTOBRIS A. S. R. c1010 cclxiv.

H. L. Q. S.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
SAMVEL SIGISMVNDVS ADAMI  
BOIANOVA - POLONVS.

---

HALAE AD SALAM  
LITTERIS CVRTIANIS.